



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Claramontensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

tibi presentium indulgemus ut si quando necessitate aliqua præpeditus ad Ecclesiam tibi subjectam accedere fortè nequiveris pro consecrandis suffraganeis tuis vel Clericis ordinandis, & ad Ecclesiam alienam propter hoc te contigerit declinare, dummodo is ad quem eadem Ecclesia pertinet id permittat, utendi palleo in jamdictis casibus liberam habeas facultatem. Datum Laterani 14. Non. Aprilis, anno duodecimo.

FRISIENSI EPISCOPO, ET
Præposito & Decano Mosburgensi
Frisiensis diocesis.

Epist. 19.
De homicidio
casuali.

Veniens ad presentiam nostram dilectus filius A. humiliter proposuit coram nobis quòd cum apud Bononiam causa studij commorans, repetendæ lectionis occasione ad hospitium H. quondam sui socij accessisset, dum ambo in solarium domus starent, & verbis jocosis præmissis idem H. manibus collum ejus complexus eum deicere conaretur, & ipse dicto H. resistendo caput suum de illius manibus abstraxisset, eodem H. in domus parietem corruente ac ad terram cadente, cum ipso ejus tibia fracta fuit, qui postmodum alia superveniente infirmitate, per incuriam medicorum in die quarta decima expiravit. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, eidem A. ad cautelam in juncta pœnitentia competenti, ipsum & sua beneficia retinere & ad ordines superiores ascendere absque contradictione cunjulibet permittatis. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcopo, cum eorum altero &c. Datum Laterani Non. Aprilis, pontificatus nostri anno duodecimo.

CLAROMONTENSI EPISCOPO.

Epist. 10.
Vtrum liceat
bona sua dare
Ecclesie pro
beneficio ob-
tendo.

Cum pro beneficiorum ad donationem tuam spectantium paucitate paucissimos possis Clericos, velut asseris, ordinare, à nobis sollicitè requisisti utrum aliqui possint de bonis suis in aliquibus Ecclesiis mittere in communi, ut ex hoc beneficiis institutis, tam ipsi quam eorum perpetui successores ad eorum titulum valeant canonicè promoveri. Super quo tibi duximus respondendum quòd quamquam si hujusmodi bona oblata fuerint cum conditione vel pacto, ut videlicet is qui obtulerit ea, illa postmodum pro præbenda retineat, & ad sacros ordines ad titulum promoveatur eorum, talis oblatio seu etiam ordinatio fieri non possit absque vi-

Vide suprà lib.
10. epist. 169.

tio simoniæ, cum in talibus omnis pactio ac conventio cessare debeat juxta canonicas sanctiones, si tamen purè ac sine pacto & conditione qualibet quisquam offerat aliqua bona sua rogans humiliter ut ea retinere sibi liceat pro præbenda & ad titulum ordinetur ipsius, proculdubio id fieri poterit absque vitio simoniæ pravitate. Datum Laterani 111. Non. Aprilis &c. ut suprà.

HVGONI ABBATI ECCLESIE
sancta Mariæ de Teddevrde ejusque fratribus tam presentibus quam futuris canonicam vitam professis in perpetuum.

Quotiens à nobis petitur quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere & potentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam beatæ Mariæ, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicitis recordationis prædecessorum nostrorum Eugenij, Adriani, Alexandri, & Lucij Romanorum Pontificum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut Ecclesia vestra honore ac dignitate abbatiæ juxta institutionem bonæ memoriæ Herberti quondam Glasguensis Episcopi & concessionem successorum ejus perpetuis temporibus potiatur & ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuò ibi inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quascunque bona eadem Ecclesia in decimis, redditibus, aquis, pascuis, silvis, terris cultis & incultis, vel aliis rebus in presentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam ipsam cum decimis utriusque Gedevrde & Langeton & Nesebith &c. usque sicut chartæ eorum donatorum testantur. Sanè novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullas à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos & laicos &c. usque retinere. Cum autem generale inter-

Epist. 11.
De constitutione priorum
Gronum.